

constituto convenit causare, non quia ad id assumatur significatio, sed res sensibilis substrata significationi.

XII. Secundum argumentum solutum est supra in tertia conclusione S. Thomæ; et vide etiam solutionem Nugno.

XIII. Tertium argumentum recte solvitur a Nugno, quod sacramentum etiam in specie ponitur in genere signi, secundum quod sacramentum est, et in ratione talis artefacti seu compositi. Ratione tamen sui materialis (seu materiæ) quod substernitur sacramentali significationi, ponitur in genere actionis, ut ablutio, unctio, etc.

XIV. Quartum argumentum ex dictis in solutione ad primum solvi potest. Et dicendum, quod generica ratio sacramenti, quæ signum est, contrahitur per id quod intra rationem signi continetur formaliter, licet materialiter pertineat ad genus causalitatis. Unde causare pure et absolute non contrahit rationem sacramenti, nec pro ejus differentia ponitur; sed causare sacramentali modo, scilicet, ut subordinatum significationi, seu ut causativum modo manifestativo et significativo, et sic est differentia sacramentorum novæ legis, quam Concilium ponit. Nec est inconueniens, quod aliquid reale, ut subest alicui intentioni rationis, sicut generare scientiam in syllogismo demonstrativo, et opinionem in probabili, cum tamen genus syllogismi sit quid rationis.

XV. Secundo dicitur, quod sacramentum novæ legis potest dupliciter accipi, uno modo secundum rationem sacramenti, et ea, quæ præcise pertinent ad rationem sacramenti: alio modo secundum rationem sacramenti in lege evangelica, et secundum subordinationem ad institutionem Christi. Dicimus ergo, quod secundum institu-

tionem Christi, et illa supposita, essenziale est sacramentis nostris causare gratiam. Ex vi autem et essentia sacramenti, id per se non sequitur, nec sacramenta nostra ut descendunt a ratione generica sacramenti, habent causare, sed ut descendunt a peculiari institutione Christi, et derivantur ab ejus passione. Itaque institutio Christi hæc duo junxit, et quod essent signa talia, habentia efficaciam a passione sua, et participantia ab ea causalitatem instrumentalem gratiæ, sicut et ipsa passio causativa est gratiæ. Et ita huic institutioni, aut ea supposita, ita essenziale est sacramentis nostra esse signa, sicut esse causas; licet illud primum genericum sit. Unde institutio illa, licet utrumque instituat (scilicet rationem signi et causæ) tamen ut institutio est sacramenti, solum respicit instituere signum, simul tamen habuit hoc signum instituere ut causam, et ideo per se convenit utrumque, non per seitate ex vi essentiæ sacramenti, sed ex vi institutionis taliter factæ. Quia tamen id quod assumitur ad instrumentaliter causandum in sacramento non est ipsa forma, seu ratio signi, sed id quod naturale et sensibile est in sacramento, ideo dicitur convenire essentialiter ratione sui materialis.

XVI. Unde sit tertia solutio explicativa hujus, quod esse causativum potest dupliciter accipi, uno modo quantum ad destinationem ipsius sacramenti, ut sit causa, quia videlicet cum ex se non habeat causare gratiam, ex institutione Christi Domini habent sacramenta esse destinata ad causandum illam: alio modo quantum ad susceptionem influxus physici instrumentalis, quem recipiunt sacramenta a Christo Domino, et virtute passionis ejus. Quantum ad hoc secundum, esse causativum gratiæ, aliquid rea-

le est, et competit sacramentis ratione sui materialis, nec se habet ut differentia contrahens rationem sacramenti secundum se consideratam, quia reale quid est. Quoad primum vero essenziale est sacramento secundum talem institutionem ejus, quia institutio Christi Domini non solum fuit destinare signa gratiæ, sed destinare signa causativa gratiæ, et participativa causalitatis instrumentalis ratione sui materialis. Et secundum hoc, esse institutum et destinatum ut sit causativum gratiæ, est differentia sacramentorum novæ legis, si quidem in sacramentis differentia essentialis non est sumenda absolute, sed supposita institutione, et secundum quod exposcit institutio auctoris eorum. Et sic dato, quod id quod physicum est in causalitate sacramentorum (scilicet, suscipere influxum instrumentalem, et per illum attingere gratiam) non sit ratio quidditativa et essentialis in sacramentis, esse tamen destinata ut causent, essenziale ipsis est ex vi institutionis Christi Domini; et ratione talis institutionis indicandum est quid essentialiter conveniat sacramento; non tamen ex vi sacramenti præcise et absolute considerati. Et sic quod etiam sit essenziale sacramento causare gratiam ex parte materiæ, sicut dicit Nugno, ex institutione Christi Domini pendendum est, et non ex ipsa materia secundum se. Et ita S. Thomas quæst. LXII, art. 1 ad primum dixit: « Quod nostra sacramenta habent perfecte rationem sacramenti, in quantum ordinantur ad aliquid sacram, non solum per modum signi, sed etiam per modum causæ; » et sic probat ibi, quod nostra sacramenta sint causa gratiæ, quia alias non transcenderent rationem signi, nec plus essent quam signa gratiæ. Unde nostra sacramenta dupliciter sunt analogata hujus nominis sa-

cramentum, et secundum habitudinem signi, et secundum habitudinem causæ; licet quia ratio causæ est subordinata rationi signi, unico modo dicantur sacramentum.

XVII. Quintum argumentum magister Nugno solvi potest dicendo, quod esse cæremoniam religiosam sacramento ratione materialis, non tamen ideo pertinere debet sacramentum ad virtutem religionis, et ad prædicamentum qualitatis, quia non convenit ei esse quid religiosum formaliter, sed objective, id est, tamquam externum quoddam objectum, circa quod versatur religio interior et actus ejus. Et similiter usus exterior sacramenti erit actio religiosa, et actus religionis, non tamen ipsum sacramentum, sed est objectum talis actus; sicut etiam sacrificium exterius non est religionis actus formaliter, sed objective, et quasi materia circa quam. Et quod sacramentum sit cæremonia religiosa, constat ex D. Thoma 1-2, quæst. CI, art. IV, ubi cæremonias religionis antiquæ dividit in sacramenta, sacrificia et observantias. Et secundo dicitur, quod sacramenta considerari possunt dupliciter, uno modo ut descendunt ab institutione Christi Domini, et sic solum habent esse signa proportionata religioni: alio modo ut subduntur ministri intentioni et usui suscipientium, et sic pertinent ad actum religionis, si debite fiant; vel ad actum irreligionis, si indebite. Sed prima consideratio est eis essentialis, non secunda.

XVIII. Sextum argumentum, scilicet, quod sacramenta sint entia rationis, tria inconvenientia apud Cabrera disputatione prima infert. Primum, quod si sacramentum est ens rationis, non erit sacramentum actu, nisi quando actu intelligitur et objicitur menti, si quidem esse entis rationis, est intelligi: secun-

dum, quod alias sacramentum esset dicendum ens rationis et secunda intentio, et sic entia rationis fluxissent a latere Christi: tertium, quod infans quando baptizatur cum debita intentione, non semper suscipiat actu sacramentum baptismi, si quidem non semper sacerdos actu apprehendit illud; et ita actu non est. Sed in responsione hujus, supponimus quod certum est, sacramentum pro formali esse ens rationis, ut patebit sequenti dubio. Et sic ad primum inconueniens dicitur, quod ens rationis, licet pro formali habeat esse solum in intellectu, absolute tamen potest dici esse ante operationem intellectus, ratione sui fundamenti proximi; quod sufficit ut absolute et simpliciter dicatur esse sacramentum, licet non sit secundum esse objectivum. Quomodo autem hoc sufficiat ut dicatur esse sacramentum, cum pro formali sit ens rationis, explicatur dupliciter: primo secundum solutionem Cabrera, quia licet ens rationis solum habeat esse cognitum, et ratione sui fundamenti id non habeat formaliter, quia tamen ratione sui fundamenti est in proxima dispositione ut sit, et quod parum distat nihil distare videtur, ideo illud ens rationis dicitur esse ratione sui fundamenti proximi, ac simpliciter et realiter denominare subjectum, quæ solutio præsertim habet verum in sacramentis, et his quæ sunt artefacta moralia, quia licet ratione fundamenti proxima non dicantur formaliter esse talia entia rationis, formalitate quasi metaphysica aut physica, sunt tamen formalitate quasi morali, quia secundum moralem institutionem et æstimationem dicuntur esse; et hæc moralis formalitas sufficit ad hoc, ut dicantur esse absolute talia artefacta, quæ solum moralia sunt.

XIX. Secundo, explicatur secun-

dum solutionem elicitam ex D. Thomæ doctrina, in 1, dist. 11, quæst. 1, art. 11 ad quintum, ubi dicit: « Quod ea, quæ pendent a ratione ratiocinata, duplicem habent firmitatem, scilicet firmitatem sui esse, et hanc habent ab intellectu, sicut cætera accidentia; et firmitatem suæ veritatis, et hanc habent ex re cui conformantur, seu in suo fundamento; » et ita dicit, quod rationes attributorum radicanur in intellectu, quantum ad sui esse; in essentia autem divina, quantum ad firmitatem suæ veritatis. Sic ergo, eo ipso quo entia rationis habent fundamentum proximum, taliter quod jam non chimærice conveniunt subjecto, sed habent firmitatem suæ veritatis, id est, non sunt pure ficta et chimærica, jam habent simpliciter et absolute esse sufficiens ad denominandum, licet non habeant formalissimum esse existentiae in intellectu objective, quia licet mediante cognitione dicantur habere esse qualecumque sit, id est, objectivum, non tamen mediante cognitione habent convenire subjecto non fecte, sed mediante fundamento, quod habet res ipsa ut tribuatur, vel non tribuatur ei tale ens rationis; alias si solum mediante cognitione conveniret, esset rationis ratiocinantis, et non ratiocinatae. Quare posito fundamento, jam habent rationem conveniendi, licet non habeant esse actu quod est objectivum, sed habent esse non chimæricum; et ita in his entibus alia est ratio conveniendi et denominandi, alia existendi.

XX. Secundo, responderi potest ad hoc inconueniens, quod illa entia rationis, quæ constituunt et fundantur in denominatione extrinseca, absolute et simpliciter dicuntur esse, et dominant ante operationem intellectus; licet esse quoddam, scilicet, relativum aut positivum, non

habeant nisi per intellectum; nec secundum illud denominent, nisi quando actu cognoscuntur. Pro quo est notandum, quod quædam denominationes sunt fundantes esse rationis et respectum rationis; aliæ vero sunt consecutæ ad esse rationis, et ad respectum rationis. Primi generis sunt denominationes extrinsecæ, ab aliquo actu humano provenientes, et tales denominationes absolute denominant, etiamsi non sint, quia dominant extrinsece, et ita absolute dicitur aliquis iudex aut doctor, et absolute dicitur sacramentum, quia absolute censetur manere denominatio institutionis, etiamsi non sit in actu objective relatio et respectus ille rationis, in quo ista consistunt. Secundi generis sunt denominationes, quæ pure pendent ab intellectu cognoscente, et ab illo attribuuntur rebus, ut esse genus, species, universale, etc. Nec enim aliquid denominatur tale nisi prout cognitum, et secundum quod est in intellectu. Hinc est quod propositiones et termini et alia, quæ sunt signa ad placitum, dicuntur etiam esse signa in libro clauso, quia ibi retinent denominationem signi, sicut et impositionis, licet non habeant actu intentionem et esse relationis objectivum. Ex his patet ad tertium inconueniens. Ad secundum dicitur, quod sacramenta dicuntur absolute entia realia, et non rationis, ut dicitur sequenti dubio, et sic non dicitur absolute manasse ex latere Christi entia rationis. Item dicuntur manasse a latere Christi, non quantum ad institutionem et impositionem, sed quantum ad vim effectivam sanctificandi, quam ex passione Christi et continuatione ad ipsam habent.

XXI. Ad primum argumentum Cabrera recte respondet ipse, quod non est de ratione signi quod sit manifestum, sed manifestativum;

non autem manifestat actu, nisi illi cui significatio ipsa nota est. Sacramentum autem non habet significationem omnibus manifestam, quia constat ex rebus et verbis; res autem non ita expresse significant. Item sacramentum non solum est signum, sed etiam signaculum, et ita non solum manifestat scientibus significationem, ne omnibus pateat, et sicut ænigmata sunt signa rei contentæ, non tamen omnibus manifesta, sed abscondentia et occultantia suum significatum: sic se habent sacramenta.

XXII. Secundum argumentum, in quo inquit, an sit signum ad placitum, et absolute sit dicendum ens rationis, sequenti dubio explicatur.

XXIII. Quartum argumentum solvitur clare dicendo, quod signum ut sit actu signum, non requiritur quod significet alicui, aut percipiatur ab aliquo; id enim pertinet veluti ad effectum signi, non ad rationem constitutivam signi; quæ non consistit in eo quod est actu significare, sed actu esse significativum.

XXIV. Quintum argumentum non habet difficultatem; constat enim Christum Dominum in eucharistia, et characterem in baptismo, non esse sacramentum tantum, sed sacramentum et res simul; unde neque sunt signa, seu in genere signi per se, sed ratione ejus quod est sacramentum tantum. Reliqua argumenta ex Nugno solvi possunt, aut difficultatem non habent.

DUBIUM SECUNDUM.

AN GENUS SACRAMENTI SIT SIGNUM,
QUOD EST ENS RATIONIS?

Conclusio est affirmativa.

XXIV. Pro fundamento hujus conclusionis est notandum, quod in

sacramentis possumus considerare, et id quod occultum est in illis ex virtute Dei operantis, et id quod externum ac visibile, et ad rationem signi pertinens. Quando hic genus constituimus in sacramentis, non loquimur de sacramento secundum virtutem suam et occultam Dei operationem, sed secundum essentiam et rationem sacramenti, seu ejus quod visibile est in ipso, et sacramentale. Hoc ergo cum sit signum, oportet quod sit ad placitum, quia omnis ratio et essentia hujus artefacti seu compositi, quod est sacramentum, fundatur in institutione. Institutio autem supponit unum, et confert aliud; supponit enim materiam sensibilem seu elementum, et confert significationem. Unde sicut respectu institutionis est quid materiale et præsuppositum ipsa sensibilis materia et elementum, ita respectu sacramenti, quod ex institutione resultat. Et sic genus quod convenit sacramento supposita institutione, non est illud, quod habet ex præsupposita materia, sed quod habet ex vi institutionis; quod est ratio signi ad placitum, et relatio rationis, ut statim ostendetur. Quare in artefactis, aliud est genus, seu prædicamentum ad quod pertinent absolute et simpliciter, seu in genere entis: aliud est genus quod eis competit, et ad quod pertinent supposita arte, et ex vi artis. Simpliciter enim, et in genere entis artefacta pertinent ad prædicamentum suæ materiæ. Ex vi artis autem, et supposita arte, pertinent ad genus formæ, quæ eis per artem tribuitur. Sic in præsentibus, aliud est genus, ad quod simpliciter et in genere entis pertinet sacramentum: aliud ad quod supposita institutione, et ex vi sacramentalis institutionis pertinet; sicut aliud est genus gratiæ in genere entis, aliud in genere gratiæ et supernaturalis

formæ. De hoc secundo inquiremus in præsentibus, non de primo.

XXV. Et dicimus, quod hoc genus est signum ad placitum, quod est relatio rationis. In prima parte conclusionis conveniunt omnes theologi, et patet breviter, quoniam in rebus sensibilibus et externis non potest esse aliqua connaturalitas ad rem supernaturalem et effectum gratiæ: ergo non possunt esse signum naturale ejus. Patet consequentia, quia signum naturale fundatur in aliqua connexion signi ad signatum, quam naturaliter habet: ergo hac deficiente, non potest dari naturale signum. Constat autem manifeste, quod ex natura sua res sensibiles nullam habent connexionem aut respectum ad res supernaturales, et consequenter non possunt fundare rationem signi ad illas. Itaque solum id habent ex Dei institutione et placito, cum naturaliter eis non competat.

XXVI. Nec obstat, quod habent aliquam proportionem et similitudinem naturalem cum effectu gratiæ, sicut ablutio in baptismo significat interiorem effectum gratiæ abluentis cor; hoc enim ex natura sua non habet determinatam significationem respectu gratiæ, licet habeat aliquam analogiam et comparisonem, et ita significat valde in confuso, et in communi effectum gratiæ, scilicet, ut analogice convenit cum ablutione, et comparisonem habet ad ipsam; non autem determinate et sacramentaliter illum significat; sic enim etiam multæ res externæ significant gratiam aut effectus supernaturales, nec tamen sunt sacramenta; imo determinate etiam signa speculativa significant res sacras, ut crux, imagines, etc. et tamen non sunt sacramenta, quia non sunt signa practica. Multa ergo desunt illis rebus, ut ex natura sua sint signa effectus supernatura-

lis, et multo plura ut sint sacramentalia signa; ad hoc enim requiritur specialis destinatio et sacratio signorum, quæ rebus sensibilibus secundum se et naturaliter non competit.

XXVII. In secunda parte conclusionis non convenit cum cæteris Suarez in tom. III p. disp. I, sect. III, §. Secundo objici, qui putat rationem signi ex impositione non consistere in relatione reali aut rationis. Et de reali relatione certum est cum impositio nihil ponat in re: de relatione autem rationis probat, quia hæc tamdiu est, quamdiu cognoscitur ab intellectu, cum non habeat aliud esse quam cognosci; signum autem ex impositione, etiam nullo intellectu cognoscente, est signum et significat. Et sic inquit, quod hæc ratio signi solum ponit denominationem quamdam extrinsecam ab actu imponentis, moraliter vero estabilitas quædam, seu aptitudo excitandi intellectum, ut aliam rem cognoscat, quia denominationes istæ, quatenus manent in memoria hominum, multum valent ad hujusmodi actiones morales et humanas, ut in jurisdictione judicis, doctoratu, etc. patet.

XXVIII. Cæterum Suarii hanc sententiam omnes auctores elidunt, nec enim difficultas ulla est, quod actus ille impositionis denominationem extrinsecam solam in re imposita causet, sicut visus in re visa, aut intellectus in re intellecta, et cognitio in re cognita. Cæterum quid sit ista denominatio extrinseca, Suarez non explicat; cum enim non ponat aliquid reale in re ipsa, ut Suarez fatetur, necesse est, ut ponat aliquid rationis: sicut privatio, quæ in re quidem nihil est, aliquid tamen rationis esse dicitur, quia eo ipso quod non est aliquid reale, concipitur tamen ab intellectu ad modum formæ et alicujus

positivi, et ens rationis est: cum autem denominatio extrinseca non possit concipi ut privatio aut negatio, concipietur ut relatio: nec enim alia sunt entia rationis quam privatio et negatio et relatio, ut constat ex quæstione XXI de veritate, art. V, quod si denominatio omnis extrinseca, cum non ponat aliquid in re, est tamen aliquid rationis tamquam relatio rationis, cur non et denominatio signi per impositionem? Negare autem quod denominatio extrinseca, ut esse visum, esse cognitum, sit relatio rationis, est contra omnem metaphysicam, cum denominatio rationis, supposito quod non est aliquid reale in re denominata, non sit privatio aut negatio: ergo debet esse relatio rationis. Et præterea, quia licet impositio solum ponat denominationem extrinsecam ab actu imponentis in re imposita, tamen imponere aliquid ut sit signum, est ordinare illud ad signatum, et non mere denominationem extrinsecam illi apponere, sed denominationem quæ illud ordinet ad signatum, et alicujus rei faciat esse signum: ergo aliquem ordinem seu respectum aut relationem in eo causat, non realem; ergo rationis.

XXIX. Et sicut esse Dominum in Deo, et esse creatorem est relatio rationis, quia licet creatura nihil ponat in Deo, tamen cum ordine ad creaturas concipitur, quando ut Dominus aut creator concipitur, ideoque est relatio rationis; sic esse signum ex impositione relatio rationis est, quia res imponitur et denominatur extrinsece, non absolute, sed in ordine ad significatum; et consequenter secundum relationem aliquam rationis. Ratio vero Suarez, ut statim videbimus, parum urget; supponimus autem ex communi auctorum sententia, præter Suarez, genus signi esse relatio-

nem, et signum in quantum signum consistere in ordine ad signatum, ut ex primo libro summularum habetur, et probabilius est essentialiter consistere in relatione secundum esse et non transcendentali, licet hanc supponat, et in ea fundetur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXX. Antequam argumenta ea proponamus, quæ tangunt difficultatem illam, quomodo sacramentum dicendum sit ens rationis, prius aliqua quæ contra singulas conclusionis partes militant, oportet solvere. Et primo contra id quod dicitur, esse signum ad placitum, nam sacramenta debent significare secundum aliquam similitudinem et proportionem quam habent cum effectu suo, seu gratia quam significant: ergo non ad placitum, sed naturaliter debent significare, quia significatio fundata in similitudine et proportione naturalis est. Antecedens patet; tum, quia in definitione Hugonis de S. Victore, quæ a D. Thoma approbatur in quarto sententiarum dicitur: « Quod sacramenta secundum similitudinem significant gratiam, et ejus causa existunt; » tum, quia Augustinus dicit epistola xxiii: « Sacramenta quamdam similitudinem habent earum rerum, quarum sunt sacramenta; quam si non haberent, omnino sacramenta non essent: » ergo debent ex similitudine significare, si quidem sufficit ad significandum ex similitudine, quod habeat illa signum, si quidem eo ipso est convenientia inter signum et signatum, et consequenter ratio significandi.

XXXI. Respondeo, quod licet absolute loquendo non sit necessaria similitudo inter sacramentum et effectum supernaturalem, illa ta-

men sacramenta, quæ de facto instituta sunt, saltem in lege veteri et nova, ex parte materiæ habent aliquam proportionem et analogiam, non quæ sit ratio significandi rem sacram, sed quæ sit congruitas ut assumantur et destinentur ut signa sacramentalia; et hoc est quod Augustinus docet, quod debent habere hanc congruitatem, sine qua non erunt sacramenta; non quia hæc sit ratio formalis significandi in eis, sed quia secundum hanc congruitatem instituta sunt, et nisi eam haberent, non eo modo essent, quo sunt instituta.

XXXII. Secundo, oppones pro opinione Suarez argumentum, quod supra positum est, quia videlicet relatio rationis non est nisi quando cognoscitur; signum autem ex impositione etiamsi non cognoscatur relative et comparative, est vere et realiter signum, signique munus exercet: ergo non consistit in relatione. Hoc argumentum diluitur ex solutionibus datis ad sextum præcedentis dubii. Et præterea dicitur, quod in signo ex impositione, duo considerare possumus: alterum esse impositum, quod est denominatio quædam extrinseca: alterum esse ordinatum ad signatum, quod est relatio, seu ordo rationis. Et quantum ad primum non indiget actuali cognitione intellectus, ut dicatur et denominetur impositum, bene tamen ut dicatur se habere relative, et secundum relationem existere. Quoad secundum vero dicimus, quod sicut Deus dicitur Dominus, etiam nullo intellectu cogitante, licet formalis ratio Domini consistat in ordine ad rem subjectam, ita dicitur signum, nullo intellectu cogitante, licet ratio signi sit ad signatum, quia sufficit ad id fuisse impositum et destinatum respectu talis signati, ut dicatur esse illius signum. Licet enim ex vi talis des-

inationis et impositionis non ponatur ordo in re, quæ est signum, et quæ sic destinatur, relinquatur tamen fundamentum proximum talis ordinis et relationis, ratione cujus absolute et simpliciter denominatur in re ipsum signum, eo modo quo in re esse potest, scilicet non secundum formam intrinsecam relativam, sed secundum aliquid, quod non nisi per formam relationis concipi potest; sicut privatio dicitur absolute esse in re, non quia sit, sed quia fundamentum habet ut per formam positivam concipiatur. Sic ergo illud quod in re non est relatio, ita tamen se habet ut non nisi relative concipi possit, dicitur esse relatio rationis; et quod ad instar potentiæ positivæ concipi potest, sed non relativæ, est ens rationis, quod est privatio aut negatio. In his tamen omnibus denominatio ipsa fit per id, quod a parte rei datur, et taliter cognoscibile est, non per id quod concipitur sic.

XXXIII. Itaque quando dicitur quod essentia signi consistit in relatione, et consequenter essentia signi in actu; ergo quamdiu non consideratur relatio rationis, non est in actu signum, et consequenter nec denominatur actu signum sacramentum, respondeo illam primam consequentiam esse æquivocam, scilicet essentia signi in actu, consistit in essentia relationis actu, et ideo distinguitur; essentia signi in actu quantum ad positivum et entitativum conceptum consistit in essentia relationis in actu, concedo; quantum ad denominativum, nego; sed consistit in fundamentali essentia relationis, seu in eo, quod non nisi relative concipi potest. Et instatur in privationibus et negationibus, quæ quantum ad privativum conceptum sunt in re, et denominant ante operationem intellec-

tus, non quantum ad positivum, id est, ut ad modum entis conceptæ: ita similiter ratio signi ad placitum, non dicitur esse actu in re secundum aliquem actum positivum existendi in ipsa re (si quidem nihil in ipsa re ponitur per impositionem) sed dicitur esse actu in re, quantum ad id quod denominatio nis habet fundantis relationem rationis, hoc est, conceptibilis per modum relationis. Et hoc sufficit ut denominetur signum, sicut in privationibus simile fundamentum sufficit ut aliquid denominetur privatum.

XXXIV. Tertio opponitur, quod D. Thomas sæpe docet artefactum poni in duplici genere, scilicet suæ materiæ, et suæ formæ; et principaliter in prædicamento suæ materiæ, ut constat ex quodlibeto xi, quæst. vi ad tertium, et in iv, dist. xliv, quæst. i, art. i, quæstione ii ad quartum; ergo etiam sacramentum principaliter ponitur in genere suæ materiæ, et consequenter non in genere signi, nec relationis rationis. Respondetur artefacta quidem in genere entis simpliciter poni in genere suæ materiæ, non tamen in genere artis, seu quod habent ex vi artis; S. Thomas autem hic non inquisivit de genere sacramenti in ratione entis, sed in genere sacramentali: commune est enim omnibus artefactis, ut in genere entis sint ratione materiæ, sed hic inquit de genere quod habent in quantum sacramenta, et ex vi institutionis sacramentalis, et ideo dicit poni in genere signi, sacramentaliter loquendo, non entitative.

XXXV. Quarto objicies: Quia si genus sacramenti est relatio rationis, simpliciter et absolute sacramentum dicitur ens reale et ens rationis, quod est absurdum. Sequela patet, quia quidditative est ens rationis, si quidem genus ejus